



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XLVIII. De Protestatione de lite non contestanda in Responso
expressa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS V.

De Litis Contestatione.

DECISIO XLVIII.

De Praelato Ecclesiae in scriptis respondente & contradicente intentioni Adversarii cum protestatione de non contestanda Lite.

SPECIES FACTI.

Ludovicus cujusdam Ecclesiae Collegiate in quadam urbe non admodum distante Praepositus emerat aedes censui irredimibili obnoxias, Berouf ein ewiges Gelt Gelegent, quem censum ab antiquo tempore harum aedium possessor debebat solvere cuidam familiae nobili, cujus defuncto unicus superest furculus Wilhelmus. Casu autem contigit, ut dictae aedes incendio conflagrarent. Quapropter, cum Wilhelmus per tres annos continuos, postquam illa conflagraverant, & novae, eaque magnifica loca exstitarum aedificatae a Ludovico, ab isto censu antiquo more peteret, semper tamen repulsam dedit Ludovicus, cum aedibus in cineres redactis etiam censuum obligationem & debitum

esse consumptum dicitans, Igitur Magistratum Civicum adiit Wilhelmus, actione reali, quae vi consuetudinis in hac urbe etiam contra Clericos competit coram Tribunali Civico Laicali, contra Ludovicum intentata. Proin citatus est Ludovicus, eique libellus, in quo suam intentionem expressit Wilhelmus, porrectus. Contradixit in solido scripto Actoris intentioni Ludovicus, & multis rationibus ostendit, actionem Wilhelmi, & suam ad censum obligationem cum aedibus destructis pariter destructam & extinctam esse, protestando simul, se per hoc non aliud intendere, quam extrajudicialiter informare Judicem, nullatenus vero animum sibi esse litem contestandi. Unde



Quaestum

QUÆSITUM EST,

An Ludovicus per hanc protestationem evaserit litis contestationem, ita ut ad litigandum non sit adstrictus?

Negavit Wilhelmus, ac propterea procedi in causa voluit ex his capitibus. I. quia litis contestatio fit per petitionem actoris, & contradictionem Rei, seu per actionem propositam, & responsionem Rei subsecutam. Wefenbec. in parat. ff. de Judiciis n. 7. Gilhausen in arbore Judiciar. Civil. c. 4. ramo 2. n. 2. Sed Wilhelmus proposuit actionem, & Ludovicus ei contradixit. Nec Ludovicus excusat II. quòd simul cum Wilhelmo non fuerit in iudicio, & sic ejus contradictio non simul unà cum actione proposita sit facta; litis verò contestatio dicat simultatem, & sic eodem tempore fieri utramque debere insinuet l. consensu 2. ff. de Obl. & act. nam sufficit moralis simultas, quæ habetur, si Actor perseveret adhuc in sua petitione, quando Reus contradicit. c. un. b. t. Id quod maxime procedit, quando Actor proposuit petitionem in scriptura, quæ semper loqui censetur. Nec III. quòd apposuerit protestationem; quamvis enim protestatio soleat conservare jus protestantis. l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hyp. l. 20. §. 1. ff. de acquir. hered. Id tamen non procedit, ubi protestatio est contraria facto. c. 54. de appellat. Modest. Pistor. p. 2. q. 88. n. 1. & passim notant DD. Carpzov. in Jurispr.

For. p. 1. const. 17. def. 16. n. 7. Gall. 1. obs. 73. n. 6. §. l. 2. obser. 101. n. 1. Sed protestatio Ludovici fuit contraria facto: ergo. Nec IV. quòd Ludovicus sit persona Ecclesiastica, Index verò Laicus; quia in hac causa ali viget notoria consuetudo Clericorum trahendi ad Judicem Laicum. Denique accedit V. quòd, si per protestationem posset litem evadere Ludovicus, jus, Actio, & præterquam probabiliter habet, penitus terverteretur Wilhelmo; quòd absurdum foret, nullatenus concedendum.

Standum tamen nihilominus est Ludovico, & tenendum, quòd propter adjunctam protestationem predictam non sit lis contestata, consequenter ipse vi suæ responsionis non dum obligatus sit ad litigandum. Modest. conf. 181. n. 8. lib. 6. Card. Tull. litt. E. concl. 390. n. 12. Gilhausen cit. n. 7. Mascard. litt. C. concl. 44. 18. 19. allegans plurimos, & glossas l. 1. v. cum Judex vers. secus si C. de contest. communiter receptam. Fundamentum principale sumitur ex natura & essentia litis contestationis, ad quam velut ad quasi-contractum omnes requirunt non modò petitionem Actoris & responsionem vel contradictionem Rei. c. 54. §. licet de Elect. §. cum t. l. 1. C. cod. & subjuncta Aub. ventur.

etiam, ut ista fiant cum animo litigandi. Abb. in *c. un. cit. Pax - Jordan. l. 1. §. 1.* Mynf. *cent. 3. observ. 74. n. 8.* cum gloss. & DD. aliis in *d. c. un. §. 1. l. 1.* cum litis contestatio fit quasi-contractus. *l. 3. §. idem scribit.* ff. *de pecul. Nov. de exhib. reis. 53. c. 3.* Atque sic à Consistorio Imperiali decemum refert idem Mynfingerus: sed protestatio, quòd non adsit animus litigandi, tollit animum litem contestandi, cum tendat ad tollendam mentem facti. per *l. Labeo 7. ff. de supell. leg. & magis per l. obligationum substantia 3. ff. de Obl. & Act. Innoc. & Socius ad cit. c. un. & Specul. eod. tit. §. 1. vers. illud.* Confirmatur, Ludovicus in suo scripto neque legitur contradicisse negando petita, sed potius excepisse, & adducendo sua fundamenta informasse Judicem: sed per exceptionem, vel per adductionem argumentorum ad informandum Judicem, item quando non contradicatur intentioni Actoris, negativè respondendo ad narrata in libello, vel negando petita, non fit litis contestatio, ut apud omnes certum est. per *l. 1. c. un. §. c. 54. cit. P. Schmalzgrueber h. l. n. 6.* ergo.

Ad argumenta Wilhelmi haud difficultè R. Ad *l. N. Ma. vel dist. si petitioni & responsioni accedat ex utraque Parte animus litigandi, & simul debetè respondeat Reus contradicentis, vel negando narrata, aut petita in libello. C. Ma. si animus litigandi desit, ut desit in Ludovico, vel Reus non debetè respondeat, uti ad litis conte-*
(R. P. Pichler Decisiones.)

stationem inducendam necesse est, sicut Ludovicus non ita respondit, cum non responderit negando petita, sed solum exceperit, & Judicem informaverit. *N. Ma. Ad II.* Transmittitur totum; non enim ex eo, quòd sufficiens simultas non adfuisset, si debetè & cum animo litigandi respondisset Ludovicus, negatur, litem fuisse contestatam, sed sed ex eo, quòd animum contestandi litem non habuerit, & non debetè responderit Ludovicus. *Ad III.* Negatur, quòd protestatio Ludovici fuerit contraria factò; quamvis enim protestatio, cui quis per factum contrariatur, nihil operetur. *c. cum M. Ferrariensis & ibi Felin. de Constit. n. 86. L. in bello §. facta. ff. de capt. & postlim. revers.* quando nimirum ordinatur ad tollendum factum; ut si quis responderet, & tamen protestaretur se non respondere, vel si, postquam protestatus est se non respondere, tamen postea responderet; talis enim protestatio utpote contraria factò nihil operaretur; cum factum infectum fieri per protestationem nequeat: at verò, si protestatio non ordinetur ad tollendum factum, sed tantum ad tollendam mentem factò, seu ad declarandum, quòd non adsit animus, qui aliàs præsumitur adesse in factò, uti præsumitur adesse animus contestandi litem in debetè respondente ad intentionem Actoris, omnino aliquid operatur protestatio, & tollit litis contestationem, cum tollat partem essentialem illius, nempe animum litigandi. Aliud

fuisset in presenti, si Ludovicus, postquam protestatus est de lite non contestanda, postea nihilominus debite respondiisset; tunc enim factum derogasset verbis, & factum fuisset protestationi contrarium. Gilhauf. *lo. cit.* cum Gail &c. Ad IV. Omittitur rursus totum; quia in privilegio Clericali se non fundat Ludovicus. Ad V. Si Judex probabiliter actionem competere Wilhelmo judicet, omnino, cum Ludovicus in hac causa reali in hoc loco non sit exemptus à foro Laicali, ipsum cogere potest ad litem contestandam, ne Jus suum probabile reddatur frustratorium; negatur autem,

quòd defacto Ludovicus litem contestatus; eò quòd interponere protestationem declaraverit animam litigandi sibi non esse. Si igitur Judex jubeat, putans, probabiliter competere actionem Wilhelmo, ut Ludovicus contestetur litem, & debite respondeat absque adjecta protestatione, tenetur Ludovicus eidem parere, & absolute litem contestari. *l. 21. pr. ff. de Noxal. l. 8. C. quando. Quando. c. 2. de lit. contest. in 6. M. concl. cit.* ubi subjungit, in necessitate & ubi Judex imperat litem contestandam, hanc non impediri per protestationem,

TITULUS VI.

Ut Lite non contestata non procedatur ad receptionem, vel ad sententiam definitivam.

DECISIO XLIX.

De criminaliter accusata, & receptionem testium prestante ante Litis contestationem.

SPECIES FACTI.

Sufanna pauper vidua, in ædibus honesti civis diu morata, & communiter habita pro famina bonæ vitæ, nihilominus tamen criminaliter delata est ad Judicem ab ædituo Ec-

clesiæ S. Jacobi Monasterii Mendicantium, quòd in festo S. Joannis Baptistæ ex dicta Ecclesia ab altari abstrulerit duo candelabra argentea. In carcerem vel potius custodiam